

aut calor sensitiuus ad modum alicuius immutatus, dum enim sentio quippiã, patior ab eo, & passio in me illata ab illo, illius est simulacrum, & si diutius principaliter illa re afficiar, eiusq; motione, omnia efficiens illud faciam, vel componam, sicut in amantibus experientia docet. At quodlibet sui retinere simulacrum, verius est, & quod ab illo procedit, illius. Semen igitur omne spiritum habet, vnde decisum est, eius simulacrum, formamq; referens. qui dum terræ, vel vterò committitur; & ab horum calore excitatur, agendiq; sumit robur, incipit agere eò modo, quo in generante patre agebat, & constituit semen ad similitudinem generãtis, qua ipse afficitur primitus, & quæ sunt iuxta, ad sui modum immutat, augetq; sicut augebat in patre, & reseruat easdem, quas in patre gerebat, motiones. nihil enim simile agit, nisi simili simulacro sit affectum. omnis quidem natura sentit, rerumq; suscipit affectiones, veluti nostro in commentario demonstrabimus. & quia non easdẽ omninò motiones seruat spiritus seminalis, qui cum semine à patre datur, sed degenerat; sic nec omninò similes duos homines, vel animalia, aut plantas videbis, & ad dissimilitudinem multum confert nutrimentum primam. Sed de his alibi, & hæc ex artificibus, ac natura inuestigauimus. Formæ igitur rerum sunt ipsa principia, in grossa mole sedentia, & à principijs omnia dependent, & actiuum ab actiuo, non ex passiuo veluti Peripateticis fit, & omnis generatio immutatio est materiæ ab agẽte, nec nouum quippiã Mundus patit (vt bene Salomon, & Mercurius aiebãt) ac sicut prius dicamus, omnes diuersitates ortas à Deo, & nunc à principijs instaurari. quoniam autem diuersitates, & gradus calorum non aliunde innotescunt, nisi ex rerum diuersis formis, iuxta has determinantur, & calor colliquans est forma aque; qui ligatus est, mineralium; spiritus tenuis in informata, & grossa, fit Plantæ; animalis verò subtilior, & agilior minusq; ligatus, & anima in omnibus fit vna, his clara ob superatam materiam, his obscura ob grossitatem. & Iudæus quidam de Arist. mente id narravit Nipho in destruc. destr. disp. 1. omnes enim veritatem balbutiunt, at quod diximus, nusquam declararunt, nec ritè intellexerunt. & mirum est de Arist. qui omnes formas actus esse voluit, nec eadẽ à causa euehite informantie docuit vera, seu, vt dicunt, vniuoca.

De antiquorum dictis nihil certi habemus, nisi quod Diogenes omnium formas ex eius commixtione effecit, spiritus, scilicet, calidi. Democritus verò ex diuerso concursu atomorum cum vacuo, & pleno, quæ quid sint, superius diximus. Plato autem, & Timæus cum Pythagoricis ab Ideis diuinis omnes formas in mundi primordijs imprimi, nam in Timæo scriptum est, duo esse exẽplaria, id est formas, alterum in mente Dei, vbi per modum vnius omnes sedent forme, id est in verbo Dei, nam quod factum est, in ipso erat vita, id est per modum vitæ, ait Euangelista Ioannes; alterum verò simulacrũ esse oculis generationisq; subiectum, quod